DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

CHLOROSI:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS DAVIES, HIBERNUS.

Ad diem 19 Maii, hora quarta post meridiem.

Phoebe fave, novus ingreditur tua templa. CATULLUS.

Surgeon Gen'l's Office
LIBRARY
Washington, D.C.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVIII.

VIRO VERE ERUDITO

TIMOTHEO TUCKEY M.D.

AVUNCULO SUO CHARISSIMO MAXIMEQUE COLENDO,

LITERARUM HUMANIORUM CULTORI;

OB VITAE INTEGRITATEM MORUMQUE HUMANITATEM

CONSPICUO;

ET IN RE MEDICA ADMODUM PRAESTANTI:

NEC NON

VIRO EXIMIO

JACOBO NASH DE KILLMONEY,

IN COMITATU CORCAGIENSI,

ARMIGERO,

SORORIS MARITO MAXIME AMANDO,

OB INGENIUM, MORUM ELEGANTIAM ATQUE SUAVITATEM,

OMNIBUS DILECTO;

TENTAMEN HOCCE DE CHLOROSI,

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

IN ILLUM,

REVERENTIAE ATQUE ANIMI GRATI;

IN HUNC,

EXISTIMATIONIS ATQUE AMICITIAE;

IN UTRUMQUE,

AMORIS NUNQUAM NON DEVINCTISSIMI,

QUALECUNQUE TESTIMONIUM

OFFERT

ROBERTUS DAVIES.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHLOROSI.

COMPAGES delicatior atque munera vitae, quibus ab adorando rerum Conditore deſignatur, Sexum pulchriorem, eoque magis imbecillem, multis morbis et incommodis, quibus mares vivunt prorſus immunes, a teneris etiam annis, ſubjiciunt. Quidnam ergo accuratius inveſtiget quiſquam, qui humanitati pariter ac medicinae ſtudet, ſortemque foeminarum miſeram luget, quàm morbos, qui, cùm in his inquietudinem excitant, tum in illo etiam ſanitatem iis reſtituendi ſtudium excitare debet? De CHLOROSI igitur, ac quatenus a menſium vitio (a magno HIPPOCRATE, mulierum morborum ferè omnium fonte habito) oriatur, nobis diſſerere liceat.

Quod quidem argumentum aggredior, non pruritu ſcribendi ductus, ſed ut legibus almae hujus Academiae optimè inſtitutis obtemperem; quibus ſancitum eſt, ut unuſquiſque, ad medicinae laureas adſpirans, ſpecimen qualecunque doctrinae medicae publici juris faciat. Si ergo in pagellis ſequentibus, feſtinante nimis calamo conſcriptis, forſan errores quidam irrepſerint, aut rudior ſtylus offenderit, aetas, confido, excuſabit juvenilis.

Affectus iſte, ab HIPPOCRATE appellatur χλωρωσις a χλωρος *viridis*; quod virgines hoc morbo affectae è pallido virideſcentes appareant. A SENERTO, ETMULLERO, aliiſque recentioribus, vocatur *Morbus virgineus*; quia virginibus maximè familiaris eſt; ab iiſdem quoque nominatur, *Febris alba*, ob pallorem, virium debilitatem, ac pulsûs frequentiam; atque item, *Amatoria*; quod, uti ait SENERTUS, virginibus viro tempeſtivis maximè accidat; ac juxta illud,

Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti.

Et, ut a LINDANO obſervatur, virgines illae nihil magis exoptent, quàm uxores fieri. Appellatur etiam *foedus* ſeu *pallidus virginum color*; ut et, ob analogiam, *Ictterus albus*; quod, ſicut in ictero, redun-

redundante humore bilioso, totum corpus flavo colore tingatur.

Chlorosis verò est habitus corporis malus, cum colore, a sanitatis consuetudine, in pallorem et viriditatem degenerato, a mensium defectu, vel obstructione et suppressione, originem ducens. HOFFMANNUS cachexiae similem fecit, dum ait, "Quem "in genere, cachexiam dicunt morbum, is in virginibus, quae nunquam menses expertae sunt, "aut si ipsi et inordinati et pauciores fluunt, Chlo- "rosis denominatur, itemque Morbus Virgineus, "et Febris Alba, nihilque aliud, quam cachexiae "species est, iisdem quibus cachexia signis sese "prodens*." Contrà autem, ab ETMULLERO optimè dicitur †, omnes Auctores morbum hunc injuriâ facere eundem ac cachexiam mulierum, quae nihil sibi propriam habet; quandoquidem non solum foeminae cachecticae, sed mares etiam nonnunquam decolores et pallidi evadunt: praeterea, cachexia quae mulieres per omnes vitae gradus occupat, est mensium suppressionis plerumque causa; dum Chlorosis mensium suppressorum ferè semper effectus

* Hoffm. oper. vol. 2. cap. 13.

† Etmulleri opera, cap. 3. p. 555.

effectus est. ETMULLERO etiam arridet SENERTI * sententia.

D. FRANCISCUS HOME † opinionem nuperrimè tradidit, ubi de menstruis suppressis agit; ait enim ille, Immeritò ab hoc vitio distinguitur Chlorosis, seu febris virginum pallida; idem enim est morbus. Hoc autem difficillimè nobis admittendum est; nam mulieres novi, quae per menses aliquot, hujus fluxus suppressionem a vasorum uterinorum sola constrictione nimia, patiebantur, in quibus Chlorosis symptomata diagnostica non omnino apparebant: sed contrà, habitus corporis robustus simul aderat, atque febribus, inflammationibus et haemorrhagiis obnoxiae plerumque erant; quamvis verò, nisi tandem succurratur, suppressio Chlorosin producere possit.

Morbus verò iste hinc virginibus, praesertim circa pubertatem ‡, quo primum erumpere debent menstrua, familiaris plerumque est; ut etiam aliis antea bene purgatis, si ab aliqua causa parcus vel suppressus fluerit fluxus; hinc gravidas quoque, sed

* Vol. 3. p. 683. † Princip. Medicin. p. 288.

‡ Circa annum fere decimum quartum vel quintum in hisce regionibus.

ſed rarius, in primis geſtationis menſibus, maximèque illas debili, tenello, atque laxo corporis habitu, praeditas infeſtat.

Symptomata quibus dignoſcitur Chloroſis plurima numerari poſſunt: Primò ſeſe offerunt dolor et laſſitudo circa lumborum et pubis regiones, appetitus proſtratus, ventriculi inflatio, ructus, βορβορυγμοι; color deinde pallidus, interdum ſubflavus et virideſcens per totum corpus; ſed ubicunque cutis abeſt, in labiis, viz. oculorum canthis, &c. praecipuè apparens; frigus tandem et inflatio in cruribus ac pedibus, circa malleolos, ſub noctem; dum facies, atque imprimis laxiſſimae ſub oculis partes, mane poſt ſomnum turgent, circulo ſimul caeruleo circumdatis. Appetitus tandem inordinatus devenit, dum cretacea clanculum vorant aegrae; reſpiratio anheloſa quando ſe movent aut ſcalas aſcendunt, vel choreas ducunt; cordis palpitatio; pulſus plerumque debilis ac frequens; totius corporis ſegnities; affectiones denique hyſtericae; animi deliquia; multaque capitis mala. Ex hiſce verò apparet, ſolida valde debilitari, ac proinde humores in indolem leucophlegmaticam vergere; nam in omnibus illis locis, ubi cutis abeſt,

eſt, ſanguinis colorem per vaſa tenerrima tranſlucentem, obſervare poſſumus, uti in lingua, gingivis, ore interno, naſo, oculorum angulis, adnata palpebrarum interiore ſuperficie, &c.*. Quando enim, in his locis omnia pallida apparent, tunc novimus vel viſcoſam, lentam et pituitoſam, vel aquoſam, tenuem atque diſſolutam ſanguinis indolem dominari.

Chloroſis multae agnoſcuntur cauſae προηγούμεναι: habitus viz. corporis naturâ valde laxus et debilis, vita ſedentaria, aſſumpta quae a virtute in nobis mutante inquilinis aſſimulari nequeunt, potus nimius tepidus aquoſus, exercitium immodicum, vigiliae intempeſtivae, ſomnus nimius, excretiones variae ſuppreſſae, evacuatio quaelibet magna, praeſertim ſanguinis rubri, varia animi πάθηματα, ex quibus coctiones ordinariae plurimum evertuntur, triſtitia, terror, amor; denique omnia, quae actiones naturales laedere, viſcerum obſtructiones producere, ac proinde corpus debilitare poſſunt. Haec autem toties optime a variis auctoribus tradita praetereamus; quemadmodum autem a menſium ſuppreſſione pendeat, indagemus.

* Van. Swiet. com. 72.

indagemus. Hoc vero ut clare eluceat, de menſtruis pauca proferre conveniet. Tot autem emanarunt, tamque variae de his theoriae, tamque inter ſe pugnantes auctorum ſententiae, ut eas omnes vel memorare, non ſinant hujus diſſertationis anguſtiae. Inter medicos tamen recentiores, celeberrimi vel menſes a plethora univerſali*, vel a peculiari uteri ſtructura† deducunt; quorum ſententias diverſas fuſius exponere, arduum ſane foret, ac propoſitum noſtrum longe exſuperaret. Quod igitur nobis veroſimillimum videtur, illuſtrare conabimur, fontes generales, unde ſymptomata deducantur, quam breviter proferendo.

Inter plethorae fautores BOERHAAVIUS ſic habet. Simulac virgo ſana adepta terminum ſui incrementi, incipit conficere plus humoris boni, quam ſuſtinendo corpori requiritur, quum augendo non amplius impendat, implebit plus ſua vaſa, maxime uterina et mammaria, utpote minime preſſa; eaque dilatabit plus quam alia; hinc et lateratia vaſcula, in cavum uteri, evacuantia humorem (quo interne lubricatur cavitas) valde impleta diſtendit; inde

* Friend. Boerhaavius. Hallerus.

† Acutiſſimus in hac academia medicinae theoreticae Profeſſor Robertus Whytt, ſententiam hanc in praelectionibus quam lucide explicat. Symſon's ſyſtem of the womb.

inde dolor, calor, pondus, ſentiuntur in lumbis, ad pubem et inguina; excitatur febricula, dilatantur vaſcula uteri, ita ut ſanguinem ipſum in cavitatem uteri ſtillent; os ejus lubricatur, laxatur, ſanguis exit *.

Auctor citatus, quamplurimum celebrandus, ſententiam ulla alia antea tradita probabiliorem protuliſſe videtur; ſed huic tamen multa objici poſſint, a quibus obſervata quaedam tradere operae fore pretium ſpero.

Prorumpunt plerumque menſtrua, per menſes vel et annos antequam ad ακμην adveniunt puellae, atque proinde ante tempus quo ſanguinem accumulari volunt plethorae fautores. Si plethora ſola ſit hujus fluxus cauſa, paulatim in corpore accumulari debet ſanguis: hoc verum difficillime admittendum eſt, nam ex ingenioſis doctoris KEILII experimentis ſtaticis probatur, nil incertius, nil inſtabilius eſſe corpore humano, nunc unius nunc alterius librae pondo variante, idque vicibus maxime repentinis, victus quantitatis vel qualitatis vel aeris temperamenti, &c. ratione, unde neceſſario turbari

* Boerh. Inſtit. Med. §. 665.

bari debet haec accumulatio gradatim conficienda. Plethorae etiam objici poteſt, quod evacuationes vel per venaeſectionem vel alvi fluxum, &c. inter menſium periodos, quibus imminuitur quantitas tunc exſtans, non omnino impediunt, quin ad tempora ſtatuta redeant menſtrua; praeterea quod etiam nec plethora nec febris a vino, aromatiſve, orta, bis terve de menſe menſtrua producunt.

Παθηματα ab HIPPOCRATE aliiſque periodica, in utero viciniſque partibus obſervata in menſium ſuppreſſione, quamvis nulla fit depletio, paucos poſt dies evaneſcunt. Haec ſatis contra plethoram cenſeo. Theoriam quae nobis maxime arridet, nunc pauciſſimis proferre conabimur.

1mo, Sanguis, per vim cordis et arteriarum pulſus, a prima empryonis formatione, pergit omnia vaſa explicare, et magis pervia reddere; hinc corporis moles quotidie augetur, donec liberé perficiatur ſanguinis circuitus, ac rigiditatem ad reactionem ſatis validam acquirant vaſa, quae ſi non tandem fiant, creſcere nunquam deſineret corpus. Hujus exemplum in cujuſvis partis laxae obſtructio-

ne quotidie ſeſe offert; tunc enim ſi negetur reſolutio, ad vaſorum rupturam pene fit tumor.

2do, Uteri compages maxime nervoſa ac vaſculoſa apparet; arterias ab hypogaſtricis, ſpermaticis, haemorrhoidalibus, iliaciſve internis, mire inter ſe intortis, et anaſtamoſibus in plexus reticulares ubique unitis, accipit. Antequam verò arteriae cum venis reducibus (multo anguſtioribus) communicant, in ſinus * per uteri ſubſtantiam in virgine quàm parvulos, vaſa lateralia emittunt, ſinuſque ipſi, mediantibus vaſis emiſſariis †, hiant in uteri cavum.

3tio, Ex § 1mo patet, vaſa totius corporis, ab infantia uſque ad pubertatem, quotidie ſenſim diſtendi; quo tempore arteriae uterinae adeo dilatantur, ut ſerum primum, deinde ſanguinem rubrum in vaſa lateralia, antea his impervia, admittant. Hinc ſanguis, ex finibus arteriarum in ſinus depluens, illos paulatim diſtendit, donec tandem emiſ-

ſaria,

* Monro on the Nutrition of Foetuſes. Med. Eſſays vol. 2. p. 106. Morgagni Adverſar. Anat. 1. § 33. et Adverſ. iv. § 26. et 27. Sanctorin. Obſerv. Anat. cap. xi. § 9.

† Med. Eſſays, p. 107.

saria, quae a sinubus ad cavum uteri ducunt, aperiantur; tuncque per vim contractilem elasticam fibrarum uteri, sanguis in sinubus stagnans, quà data porta, in uteri cavum expellitur*; ex utero verò, per os ejus laxatum effluit.

Dum sinus uteri, expulso sanguine, arctantur, arteriae †, quae super eorum latera distribuuntur, magis magisque comprimuntur, unde primò humorem subrubellum effundunt; postea serum, tandemque lympham, sicque sistitur primus mensium fluxus. Sanguis autem, per vim cordis et arteriarum pulsus, indies pergit, haec vasa uterina, a collabente mole uteri compressa, dilatare, adeo ut post sex, septem, vel octo fortè septimanas, sanguine rubro de novo repleantur sinus; unde, ut antea, menstrua, pro secunda vice, erumpunt.

Hinc etiam patet, ponderis, caloris ac doloris circa pubes et inguina, causa; arteriarum nimirum uterinarum

* Observari meretur, quod instante fluxu menstruo, sanguis reverà majore momento agit in vasa uterina; quoniam haec vasa, sanguine solito magis distenta, in vibrationes fortiores concitantur. Post finitum verò fluxum, et depleta vasa, vibrationes hae insolitae, oblato stimulo, cessant.

† Medical Essays, vol. 2. p. 106.

narum nimia a ſanguine diſtentio; unde non ſolum dolor et caloris ſenſus in ipſo utero, ſed in partibus vicinis, per nervoſum conſenſum; inſtante enim fluxu menſtruo, uterus ſanguine turgidus, levi quaſi inflammatione afficitur. Hinc etiam appareret, quemadmodum mammae, ante menſium eruptionem, et in geſtationis tempore eleventur, ac poſtea, dum lac praebent, vix recurrant menſtrua. Ad haec verò conſpirant, 1mo, Inter arterias epigaſtricas ac mammarias anaſtamoſis; dum enim epigaſtricae diſtenduntur plus ſolito ſanguine, nullus ſanguis per ramos communicantes in eas fluit ex mammariis: imò, è contrario, ex epigaſtricis in has derivari videtur hoc fluidum, unde mammae, majore ſanguinis copia irroratae, turgeſcunt. 2do, Turbato per vaſa tot inferiora ſanguinis circuitu, ad ſuperiora, copia majore, derivantur humores, compagem propter laxatam praeſertim ad mammas; quoniam autem, poſt foetûs excluſionem, uterus ſe contrahit, mammarumque arteriae jam ſatis dilatantur, ut lactis copiam ſecernant; liberior fit per vaſa communicantia circulatio; hinc, ut etiam per alia corporis vaſa, ad mammas, utpote minimè reſiſtentes, abripitur ſanguis: verùm lacte non amplius per papillas educto, reſiſtentia augetur, ac turbatur

illic

illic derivatio humorum; unde, ut antea, ad vasa uterina ruunt. His traditis, progrediemur.

4to, Celeb. FRIENDIUS, qui fusiùs mensium phaenomena, morbosque ab eorum suppressione, uti alii plerique auctores, a plethora symptomata deduxerunt. Quod hinc libera sanguinis circulatio obstrui, atque lentor cum vasorum debilitate conciliari possit, nemo, ut credo, dubitabit. Sed cùm, a mensium suppressione, sine plethora inducta, oriri possit Chlorosis, necessè est aliunde quaerere causam.

Suppressio haec an non satis turbet viscerum χυλο et αιματοποιητικων oeconomiam, ut hunc morbum producat, proximè inquirendum est; ut ergo appareat lucidius, cum sana horum actione incipiendum.

Inter manducandum, et in deglutitionis actione, alimenta, cum saliva et muco oris, linguae, palati, &c. commiscentur; deinde in ventriculum protruduntur. Arteriae huic perreptantes humorem gastricum effundunt, qui hujus visceris calore atque actione, inter ingestorum particulas sese insinuat,

nuat, illaſque diſſolvit. Inde in duodenum exeuntibus jam crudis, eaſque ſubituris mutationes, quae a ſpontanea horum degeneratione, in loco calido ac humido, ſequi debent; bilis utraque, virtute ſaponacea praedita, pancreatis latex aliique ex omni inteſtinorum puncto, perpetuò infunduntur elaborati humores. Motu interea periſtaltico ulterius admiſcentur, inquilinis aſſimulantur, ac gradatim per canalem protruduntur, dum chylus jam blandus ac dilutus fiſtulis lacteis valvuloſis abſorbetur; hinc in ductum thoracicum, quo totius ferè corporis redux defertur lympha: ex hoc tandem guttatim in venam ſubclaviam deductus, ab integro ſanguinis torrente abripitur, atque arteriarum per corpus efficacia, in ſanguinem ſenſim rubrum mutatur. Quum igitur tot conjunctae ad ſanguinem bonum perficiendum conſpirent functiones, virgines delicatulae, quas ſaepius infeſtat Chloroſis, ex fibrilis ſuis laxioribus, functionum illarum laeſionibus neceſsè eſt ut magis obnoxiae evadant.

5to, Hodie conſtat, cor, totumque ſyſtema arterioſum, potentia motrice praeditum, in contractiones perpetuò deduci, a ſtimulo ſanguinis per

illa

illa fluentis *. Hinc ſanguine, ad menſium periodum, in uteri vaſis et ſinubus, copia luxuriante, et, vel ob ſuum lentorem, vel vaſorum emiſſariorum (a quacunque cauſa ortam) nimiam conſtrictionem vel rigiditatem, quo minus egrediatur prohibito, uterus diſtentione jamjam affectus, in ulteriora παθηματα ſtimulatur; unde arteriolae uterinae conſtrictionibus inſolitis agitantur, quarum ope vaſcula minima uteri, magis adhuc ſanguine fortiter pulſo, diſtenduntur; unde levi quaſi inflammatione tentantur: ſed cùm uteri ſtructura valde ſit laxa et fungoſa, atque viſcus illud ab omni muſculorum preſſura ſit prorſus immune, et in pelve foeminea ampliore† ſitum; cùmque corpus muliebre non plerumque in indolem inflammatoriam vergat, vix hi naſcuntur effectus, ſed lenta fit tandem reſolutio, et ſanguinis maſſae reſtituuntur humores, qui in uteri ſinubus ſtagnaverant, dum forſan viſcida et iners indoles ſtagnando inducta ſanguinem totum inficit.

6to, Interea autem ſanguis per vaſa haec inferiora circuitum iturus, ab utero obſtructo repercuſſus,

* Whytt on vital, &c. motions of animals.

† Monro's Oſteol. appen.

ſus, per alia corporis vaſa, ſed per leges hydraulicas imprimis in arterias caeliacas ac myſentericas, mutata proportione, determinatur: hinc ad ventriculum praecipuè et inteſtina, ut et ad hepar et ſplenem derivatur; unde partes hae praecipuè turbantur.

7mo, Dum quacunque corporis parte dolente, febris plus minus excitatur, nonne ex cordis et arteriarum aucta per conſenſum irritabilitate? Nullibi autem lucidius συμπαθεια haec ſe offert, quam in menſium ſuppreſſione; nam vaſis uterinis ſanguine diſtentis, non tantum febricula excitari poteſt, ſed in conſenſum ruit plerumque totum ſyſtema nervoſum; unde, ut HOFFMANNUS obſervat, multoties ob impeditiorem per vaſa uterina tranſitum, graviſſimas hyſtericas affectiones patiuntur virgines *. Nonne etiam ex aucta vaſorum irritabilitate, cauſam haemorrhagiae cujuſvis (ad plethoram minuendam in menſium obſtructione, a clar. FRIEND, aliiſque poſitae) deducemus? Idem etiam cenſet HOFFMANNUS; nempè, haemorrhagiam, non a ſanguinis qualitate vel nimia copia, ſed a vaſorum, in quavis parte, aucta contractilitate,

* De malo hyſterico.

te, et ſanguinis inequali circuitu plerumque pendere *. Nam, ſi ſanguis tam indole quam copia polleat, aucta vaſorum quorundam irritabilitate, per haec velocius abripietur, nunc ad nares vel pulmones, nunc (uti ait HIPPOCRATES de menſtruis retentis), τρεπεται δε ϰὴ ες ἔμετον, ἔϛιν ὅπϖι ϰὴ ϰατα τῆν ἑδρην † : ubicunque enim vaſa debiliora ſunt, illuc praecipuè ſanguis (reſiſtentiam minorem inveniens), derivatur; hinc magis irritantur; ſed eo minus ad ſanguinis vim ſuſtinendam valent; unde haemorrhagia ſequitur; idque ex eo confirmari videtur, quod opium, quod nervorum ſenſilitatem ſopit, atque vaſorum motus vehementiores compeſcit, inſignes ſaepe praeſtat effectus in haemorrhagiis ſiſtendis, quoties hae, a vaſis ſtimulo quovis nimium agitatis, oriuntur.

8vo, Levis quaedam febriculae ſpecies plerumque ante menſium eruptionem excitatur ‡. In febris verò, a nervorum conſenſu ortae, acceſſione, minima corporis vaſcula, praecipuè autem cutanea, utcunque conſtringi ac valde arctari videntur; hinc perſpiratio obſtrui poteſt, dum urina, indole

 ſua,

* De Haemorrhagia.
† Hip. de Morb. Mulieb.
‡ Boerhaav. Inſtitut. Med. § 665.

ſua, materiae perſpirabili conſimilis, redditur limpida, omneſque excretiones turbantur, ſanguinis copia ſolito minore, per arterias has excernentes tranſeunte: ſanguis autem hinc cum humoribus acrioribus qui excerni debebant, vi ac copia majore, retinetur in ramis liberis, morboſque, prout in hunc vel illum locum propellitur, varios inducit; ſi autem, prae caeteris, ad tubum alimentarem talis fluxio feratur, appetitum proſtratum, nauſeam, flatus, tormina, ac βορβορυγμες efficere poteſt.

9no, Porro quando menſes ſupprimuntur, ventriculus malè afficitur ex peculiari ſympathia quam cum utero habet, forte partim ex mutato ſanguinis circuitu in abdomine inferiore; hincque citò poſt conceptum, foeminae nauſea et vomitu quotidie afficiuntur. Sive autem ex ſympathia, ſive ab humore quovis noxio retento, ad illa depoſito, turbantur ventriculus et inteſtina; ſymptomata inde eo graviora excitantur, quo hae partes magis ſenſibiles, adeoque magis irritabiles ſunt; acris enim quaevis materia in tubo alimentari hoſpitans, vel in vaſis ſuis ſtagnans et nervos irritans, ingratam ſenſationem, motus convulſivos inordinatos, et ſpaſmos vehementes inducit; unde ſymptomata,

ptomata, § 8va citata, et dolores colici atrociſſimi, cum alvi obſtipatione, aliiſque malis.

1omo, Cum alimentis ſimul ſemper ingeritur aer elaſticus; hîc autem, conſtrictionibus ſpaſmodicis tubi alimentaris interceptus, ac corporis calore rarefactus, flatus generat: ab aere autem flatuoſo ſpaſmi inteſtinorum augentur, dum in locis intermediis valde diſtenduntur. Clariſſimus HALES experimentum hîc haud inutile cepit*: aquam, nempè, ad ſanguinem eluendum, ut materiem ceraceam rubram facilius admittant, in arterias ventriculi canis injecit; aqua per vaſa liberè defluxit dum infunderetur; repletis verò materie ceracea arteriis, cum ventriculum, ad exſiccandum, flatu diſtendere vellet, aquae, quae in venis ſtagnaverat antea, pleno nunc rivo integrè emanavit. Conſtat hinc, diſtenſione adeo comprimi vaſa, ut humorum quantitatem minorem tunc temporis continerent; unde patet, arterias, quae liquores in ventriculi et inteſtinotum cava ſecernere debent, debita ſanguinis copia orbatas, functiones ſuas non rectè perficere poſſe: dum eodem modo bilarii communis atque pancreatici ductuum extremitates duodeni tunicas perreptantes, ab hujus inteſtini inflatione

* Haemaſtatics, vol. ii. p. 176.

inflatione conſtrictae, humores ſuos, ad aſſimilationem ingeſtorum perquam neceſſarios, effundere nequeunt; interea etiam actio periſtaltica omnino turbatur; hinc ingeſta ſic retenta, nec cum inquilinis permiſta, jam cruda, citiſſimè corrumpuntur; ac proinde plus generant aeris elaſtici, antea in his fixi retenti, qui eoſdem quos antea effectus, ſed gradu majori efficit. Denique autem reſolvuntur ſpaſmi; et hinc κορβορυγμοι oriuntur; atque ſi ſimul conſtringantur oeſophagi fibrae, ſenſus ille ſuffocationis, *globus hyſtericus* dictus, exhibetur, dum falsò a veteribus uterus huc aſcendere credebatur; ſed ſanguine menſtruo nondum effuſo, et partim in vaſis uterinis ſtagnante, cauſa adhuc in corpore tumultûs manet; hinc denuo conſtringuntur; ac tandem diſtracta diu flatibus inteſtina utcunque paralytica fieri poſſunt, atque poſtea nunquam ad naturalem tonum redeunt. Paralyſis haec, quamvis raro accidit, tamen, ex dictis, viſcera haec valde debilitari videntur: hinc chylus non elaboratus, nec blandus nec dilutus, in ſanguinem recipitur, atque morborum multorum fit fomes; quidquid enim prima digeſtione corrumpitur, haudquaquam emendatur in ſecunda coctione; adeoque qualis efficitur chylus, talis fit

ſan-

ſanguis *. Lentor hinc, ac ſimul acrimonia ſanguini conciliantur, quibus, ſi corpus ſit rigidum atque robuſtum, febris valida excitari poteſt, qua humores attenuare conatur natura: ſed, ſi fibrae ſint laxae et debiles (uti in foeminis Chloroſi obnoxiis) febricula quidem oriri poteſt; levior autem, nec ſanguinis lentorem reſolvere valens. Cùm autem ad ſanitatis conſtantiam requiratur, ut tantum et tale humoribus ſolidiſque perpetuo reſtituatur, quantum et quale quotidie perditur †; et, cùm ingeſta non nutriant, niſi per vires corporis noſtri mutata fuerint, non ſufficiet cibos ingeſſiſſe et ingeſtos retinuiſſe, ſed requiritur debita illorum digeſtio; quae ergo ſi deficiat, pariter ſequetur debilitas ‡.

11mo, Nunc verò, ad Chloroſin producendam, ſimul conſpirant corporis debilitas ac humorum cruditas; hinc enim fit languidus ſanguinis circuitus, unde omnia torpent. Cùm autem, ab expedito fluidorum per vaſa tranſitu, functionum integritas pendeat, omnes actiones vitales, animales, atque naturales, laeduntur, ac vaſa non ſatis in humores diſtendentes reagentia plus diſtenduntur, tandemque

* Huxam. de Aere et Morb. Epid. v. i. p. 24.

† Boerh. Inſtit. Med. § 436.

‡ Van. Swiet. Com. 662.

tandemque tonum ſenſim amittunt; donec tota ſolida laxiora, et exinde fluida, minus denſa et compacta fiunt, aut in aquoſiorem naturam degenerant.

Symptomatum diagnoſticorum, antea tantum enumeratorum, rationem jam exponere pergo. Ut primum corripiuntur Chloroſi puellae, de onere atque dolore quodam, lumbos, inguina, ac pubes opprimente, queruntur, ſanguinis in uterinis aliiſque vaſis vicinis accumulationi adſcribendis: appetitus proſtratus deinde, cum ventriculi inflatione, ructibus et borborygmis, exoritur; ab aſſumptis cibis gravantur aegrae, nec inde reficitur corpus, viribus ad hos digerendos deficientibus: hoc optimè obſervat HIPPOCRATES*; ait enim, Quaecunque quidem ventriculus ſuperat, quaeque corpus recipit, ea neque flatus neque tormina excitant: at ſi ventriculus non ſuperet, ab his, et flatus et tormina, caeteraque id genus, contingunt.

Chylus, quando ſanguinem ingreditur, omnino eſt albus, debetque, per pulmonum arteriarumque in

* Hip. de Affection. cap. 13. charter. tom. vii, p. 633.

in aliis viſceribus efficaciam, mutari in ſanguinem ſenſim rubrum; functionibus autem laeſis, atque ſolidis debilitatis, ulterius elaborari nequit: hinc meritò dicit clar. VAN SWIETEN *, Dum debilis languida Chloroſi torpet puella, ingerit nutrimenta quidem, ſed non indè perficit bonum ſanguinem, ſed lac quaſi tantum; unde tota pallet. Imò, imprudenter ſecta vena, in tali caſu, vidi ſanguinem exiviſſe album. Si in his vires paulo plus valent, magis mutantur, non tamen integrè perficiuntur humores; tunc color oritur flaveſcens vel virideſcens; deficit enim in his ſolidarum partium actio in fluida; tument, implentur crudis; ſed non fit bona nutritio.

Inter cauſas quae humores venoſos verſus cor propellunt, tam arteriarum quam turgentium, dum agunt, muſculorum requiritur vis. Haec autem in languidis Chloroſi laborantibus torpet: hinc in venas majores jam ſatis diſtentas vix ſeſe deplere poſſunt venae reſorbentes; unde tunica celluloſa, humoribus qui reſorberi debebant, turgere incipit; hinc tumores oriuntur in locis a corde remotiſſimis, ac proinde circulationem languidiorem habentibus,

* Commentar. in Boerh. Aph. § 25.

bentibus, in facie, viz. et praecipuè in laxiſſimis illis (uti ait VAN SWIET.) ſub oculis partibus, quas ὑπωπια et ὑποφθαλμια dixerunt veteres Graeci, in cruribus et pedibus circa malleolos, atque in hypocondriis. Partes ſuperiores modo memoratae, ob ſitum forſan horizontalem, mane maximè turgent, dum reſiſtentia quae fit ſanguini venoſo augetur; ob ſimilem etiam cauſam ſub noctem tument inferiores. Frigus etiam inflationes tales comitatur, dum torpet ſanguinis circuitus.

Reſpiratio aegris fit anheloſa, praeſertim cum ſe movent vel acclivia aſcendunt; tunc enim actio muſcularis, ſanguinem viſcidum copiosè in cor dextrum et pulmones, jam debiles ac minimè reſiſtentes, propellit, atque vaſa ſatiat: hinc etiam cordis palpitatio; arteriis enim, tam pulmonum quam aortae, ſanguine diſtentis, atque vi harum contractili, in fluida contenta, inerte reddita, valde augetur cordi reſiſtentia; unde, ubi vires ejus ad ſanguinem propellendum non ſatis valeant, in frequentiores contractiones ſtimulantur: hinc etiam pulſus plerumque eſt celer et frequens, ſed

ſemper

ſemper debilis. Cordis etiam atque arteriarum debilitati adſcribenda ſunt defectus et inertia liquidi nervoſi, vel cujuſvis illius, ad motum ac muſculorum contractionem requiſiti; dum enim ſanguis in aquoſam vel pituitoſam inertem lachochymiam degenerat, non debita copia ſecernitur, nec functiones ſuas exequi poteſt: hinc corporis totius ſegnities, et ad motum muſcularem ineptitudo, oriuntur. Somno etiam profundo, ſenſuum omnium hebetudine, ſtupore, atque vertiginibus moleſtiſſimis gravantur Chloroſi laborantes: haec verò ex turbata ſpirituum ſecretione ac ſanguinis per durae vel piae matris vaſa immeabilitate, cerebrique ipſius forſan compreſſione, provenire videntur.

Paſſionibus hyſtericis afficiuntur, pulſatione in temporum arteriis, atque dolore capitis graviore, *clavo hyſterico* dicto, quem optimè notat SYDENHAMUS, hiſce verbis: "Nonnunquam exterio-
"rem capitis partem occupat, pericranium inter
"craniumque, dolorem vix tolerabilem afferens,
"in quadam tantum particula, quae tranſverſo
"pollice contegi poſſit, jugiter defixum; dolo-

" rem etiam hunc comitantur vomitiones enormes. " Haec ſpecies clavus hyſtericus mihi eſt, iſtas " prae caeteris fatigans, quae Chloroſi laborant *." Affectiones tales non mirae videri debent, quum omnes norint, quam debile ſit in his ſyſtema nervoſum; adeo ut minimo pavore, &c. perculſae, in animi deliquium ſaepiſſimè incidant.

Parum ſitiunt quae hoc morbo corripiuntur; quia ob languidum humorum motum vix calent, et parum perſpirant, atque ob tubi alimentaris inertiam acidum in primis viis praedominatur. Hinc etiam appetitus antea proſtratus, nunc vel nullus vel inordinatus fit, atque abſurda quaedam veluti ex Naturae inſtinctu deſiderat, dum arenas, calcem, cretam, &c. abſorbentia, clanculum toties vorant; hinc et augentur ructus, borborygmi et rugitus.

Humoribus tandem in viſcidam ejuſmodi atque aquoſam indolem mutatis, ſecretiones omnes a naturali lege declinant: ſaliva viſcida, bilis iners et parca, plerumque viridis (uti acido laborantibus fieri ſolet) ſecernitur; urina pallida, ſpumoſa, vix olens,

* Sydenhami opera, p. 389.

olens, ſed magna copia frequenter redditur. Symptoma hocce, in affectionibus hyſtericis, ſaepe ſe offert; nam, praeter colorem pallidum, quem ex fluidis aquoſis in Chloroſi abundantibus obtinet, oriri poteſt ex ſpaſmis, quibus adeo conſtringuntur vaſa renalia, ut tenuiores tantum atque ſubtiliores ſanguinis partes tranſmittere poſſunt: copia majore etiam redditur, dum vaſa ſecernentia, ex ſtimulo majore, in oſcillationes magis frequentes et inordinatas deducuntur; unde major fluidorum copia, dato temporis ſpatio, ad renes allicitur *. Excretiones omnino turbantur, alvus plerumque tardior fit, viribus deficientibus, ac bile inteſtina non ſatis irritante; perſpiratio minuitur, ac tandem vix ulla fit, dum copia majore redditur urina, et vaſorum vires in capillaria vaſa cutanea humores propellere nequeunt.

PROGNOSIS.

Qualis in Chloroſi inſtituenda ſit prognoſis jam dicendum eſt.

Morbus

* Whytt on Vital and Involuntary Motion, &c.

Morbus hic, etsi non admodum in initio periculosus, atque rarò per se lethalis, saepe tamen pertinax, ac ferè semper curatu difficilis evadit. In prognosi autem ad plurima attendendum est; variat enim ratione, 1mo, Durationis. 2do, Corporis statûs. 3tio, Morbi effectus.

1mo, Si diu permanserit, in initio negligatur, atque altas agere radices permittatur, solida quotidie magis debilia fiunt, et fluida in malam κακοχυμιαν tandem degenerant: hinc hydropem, viscerum abdominalium, uteri, ovarii schirros, febrim lentam, hecticam, phthisin, multosque alios morbos chronicos inducere potest.

Riverius, in praxi medica, et post eum Hoffmannus, observat, Foeminas, quae hoc morbo diu laborarunt, aut steriles evadere, aut prolem morbosam, debilem, atque parum vitalem edere.

2do, Si aegra malo corporis habitu naturaliter praedita sit, omnia in pejus ruent; tunc enim facilius inducitur κακεξια vera, de qua meritò ait

Are-

ARETÆUS*, "Morbus hic vix ſanabilis, malum-
"que longiſſimum; longo enim tempore gigni-
"tur, neque ab uno corporis vitio, neque ab uno
"viſcere, ſed omnium eſt converſio in deterius.
"Quocirca, ab hac enaſcentes morbi inevitabiles
"ſunt, hydropes, phthiſes, colliquationes, ſiqui-
"dem mali habitûs cauſae, ſunt germanae (cauſis)
"colliquationis."

Virginum, quae, ob nimiam vaſorum uteri conſtrictionem vel rigiditatem, nunquam menſtrua patiebantur, curatio incertior atque difficilior evadet: ſed contrà, eo facilior, quo magis regulariter antea fluxerunt, maximaque ſalutis elucet ſpes, quando Chloroſi laborantes ſtatis periodis ſatis purgantur; tunc enim a pertinaciſſima morbi cauſa liberantur.

3tio, Morbi effectus ad prognoſin etiam confert, prout horum illorumve viſcerum functiones magis laeduntur: ſi enim accedant poſt longam morbi durationem, vertigo, memoriae imbecillitas, tremor, ſomnolentia, metus eſt, ne lenti vel et aquoſi humores, in encephalo incipiant accumulari; unde

* De Cauſis et Sign. Morb. diut. lib. cap. xvi. p. 47.

unde apoplexiae metus inſtat. Si ad minimum motum corporis anhelare incipiunt, ac ferè ſuffocantur, pectoris cavum ſimilibus repleri concluditur, vel et ipſum pulmonem *. Hinc eventus valde anceps evadet.

MEDENDI METHODUS.

Ad hujus morbi curationem, imprimis conſiderandum eſt, tam quod optimè monuit Medicorum Princeps HIPPOCRATES, "Si unquam aliquis in "ullo morbo utilitatem attulit, eum juſto tempo-"te attuliſſe neceſsè eſt †;" quàm quod in morbis chronicis non ingens medicamentorum farrago, ſed ſelecta atque tempeſtiva illorum valet exhibitio.

Indicationes curatoriae ſunt quatuor. Prima, Saburram in primis viis haerentem expurgare, ne aliorum medicamentorum efficaciam impediat. Secunda, Humores vitioſos corrigere ac ſolida firmare. Tertia, Menſtrua promovere, ſi omnino obſtruatur eorum fluxus. Quarta, Morbi reditum, quam maximè poteſt, impedire.

ima,

* Van. Swiet. Com. § 1173.

† Hipp. lib. de Morbis.

1ma, Antequam verò intentiones has attingamus, corporis ſtatus conſiderandus eſt; nam ſi aegra ſit plethorica, venaeſectio (ſed cauta tamen manu) praemittenda eſt, ne ſanguis, emetico dato, per vaſa pulmonalia jam debilia velocius propulſus, haec magis irritet, atque exinde haemoptoen, morbum valde pertimeſcendum, excitet. Si autem morbus inveteratus ſit, ac aegra non plethorica, non omnino celebranda.

Vomitum plerumque primò ciere oportet: hîc praeſertim conducunt vitrioli albi ſcrup. i. vel drach. ſs. vin. emet. Pharm. Edinb. vel tinct. ipecacuan. pro aegrae viribus, ſuperbibend. infuſ. florum chamom. vel cardui benedict. Cathartica lenia etiam, vicibus repetitis, conveniunt; imprimis tinct. ſacra, pil. ruf. aloet. rhabarb. nam haec non tantum primas vias expurgant, ſed ad ſolida ſtimulanda et humores attenuandos valde conducunt.

2da, Ad humorum indolem depravatam corrigendam, prout variat, adhibenda ſunt remedia.

Si

Si ſanguis viſcidus ac denſus evadat, medicamenta reſolventia et attenuantia proſunt, quae et eodem tempore ſtimulant atque corroborant: talia ſunt, rhabarbarum cum paucis, in quaque doſi, granis calomel. elixir proprietatis, vinum medicatum ex optimis aromaticis et ſtomachicis, pilul. gummoſae attenuantes, pilul. ecphracticae chalyb. Pharm. Edinb. frictio etiam quotidiana hîc plurimum confert.

Si aquoſa et tenuis ſit ſanguinis indoles, corroborantia, qualia ſunt cortex Peruvianus, tinctura ad ſtomach. Pharm. Edinb. indicantur. Quantum medicina gymnaſtica vaſa et viſcera nimis debilia corroborare conducat, clar. VAN SWIET. de Morb. viſcerum debilium et laxorum optimè obſervat; et quotidie videmus ruſticos homines validiſſima edulia commodè digerere, quae debilium viſcera peſſime infarcirent: hinc vectio in rheda, equo, navi, &c. commodiſſima erit, quatenus non vires diſpergit. Victus ſit nutriens, incraſſans, ſed non ad digerendum difficilis. Affectus omnes animi violentiores vitandi, ſomnus modicus,

cus, aer ſiccus; donec enim ſolida firmentur, et vaſa bonis repleantur humoribus, emmenagoga exhiberi non debent.

3tia, Tandem verò emmenagoga et deobſtruentia, pro ſymptomatum ratione, ac aegrae temperamento exhibenda ſunt; ad hunc ſcopum, prae caeteris, palmam ferunt chalybeata atque aloetica. Cel. FRIEND * cathartica ex aloe, jalappa, ſcammonia, elateria, &c. conflata commendat; "quibus (ait ille) ſi adjecta ſit aliqua Mercurii praeparatio, fortius adhuc excitabitur ſanguinis impetus; nihil enim aut lentorem efficacius tollit, aut vaſa obſtructa citius recludit, quàm Mercurius." MEAD. ait †, "Ex omnibus quae menſes movent, maxime ſingularem virtutem habere deprehendi helleborum nigrum, ita ut illum vix unquam ſpem fefelliſſe meminerim; idcirco tincturae melampodii cochleare minimum ex aquae tepefactae hauſtulo, bis die aſſumi jubeo." Eodem tempore, multum prodeſt pediluvium; et, ſi aegra concedere vellet,

* Emmenolog. p. 140.

† Monita Medica, 247.

ſuffimenta et aquae calidae vapores, ad uterum per tritorium vel tubulos uterinos derivati. HIPPOCRATES, denique, ſapientiſſime inquit, "‡ Auctor ſum, ut virgines hoc malo affectae, "quam celerrime cum viris conjungantur, iiſque "cohabitent; ſi enim conceperint, convaleſcent." Congreſſus cum ſano juvene, bonos effectus ſaepe etiam vidiſſe affirmat RIVERIUS; et poſt illum HOFFMANNUS maritum magnopere pro medico commendat.

4to, Tentamen tandem ultimum aggrediemur, morbi nempe reditum impedire. Omnia quae morbum hunc producere poſſint, magnopere evitanda ſunt; praecipue autem cavere debet aegra, ne aeris inclementiae ſe exponendo, menſtrua primò erumpentia denuo ſupprimat: ſi verò hinc pauciora fluant et ceſſatura videantur, guttae 40 vel 50 tincturae croci, vel elix. proprietat. cochl. parvul. bis terve per diem exhibendae, cum pediluviis, &c. antea dictis. Hic etiam valde conducunt clyſmata, ex aqua tepida in inteſtinum rectum injecta. Multa alia evitanda

‡ Hipp. lib. de Morb. Virg.

tanda ſunt: haec autem in ſerie cauſarum praediſponentium in initio tradita enumerantur. In uſu quorundam amarorum vel ſtomachicorum diu perſeverare debet aegra. Vina auſtera, mera vel cum aqua miſta, plerumque uſurpanda cum exercitio: aquae minerales chalybeatae etiam non parum conducunt. Denique, per totum morbi progreſſum ſymptomata praecavenda ſunt, aut mitiganda; ſed quoniam varia ſunt in variis aegris, eorundem cura aliunde petenda eſt.

FINIS.